De sacerdotum incontientia Constituit concilium Aphricanum.

De his diuinarum manifesta legum est disciplina et beatae recordationis viri Syriaci Episcopi monita euidentia commearunt, ut incontientes in officijs talibus positi omni honore & gloria priuentur nec admittantur ad tale ministerium. Est enim vetus admodum sacrae legis autoritas iam inde ab initio custodita. Ut seruientes sacris obsecrationibus puros & ab omni labe purgatos sibi vendicent diuina ministeria. Neque eos ab ministeria fas est admitti qui exercent vagas libidines. Quia scriptum est: Sancti estote quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester. Nam casta Deus mens est, casta vult mente uocari.

Sunt Sacerdotes [illegible] diuis donibus anno vicis suae in templo habitare iussi se exercere commercium, ut conscientiae integritate [illegible] se Deo munus offerrent.

De illis qui sibi ipsis absque uocatione munus docendi presummunt consilium Antiochenum sic statuit

Si quis vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque peruadat absque integro perfectoque consilio. hic anatema sit necesse est & si cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Distinctione 92 cap. Si quis Episcopus vacans.

Iudicio multitudinis ordinationes fieri non debere

Concilium Laodicense constituit, non esse permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium prouehendi: Distinct: 63 cap. Non est permittendum.

De episcopalibus ordinationibus Mandatur in eodem concilio.

Ut iudicio Episcopi prouehantur ad Ecclesiasticam functionem hij qui plurimo tempore probantur tam uerbo fidei, quam rectae conuersationis exemplo.

Quod non oporteat absolute quoslibet ordinari

Concilium Chalcedonense sancitum est. Nullum absolute ordinari debere presbiterum aut diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico nisi specialiter pronuncietur. Qui vero absolute ordinantur, decreuit sancta synodus irritam haberi huiusmodi

manus impoſitionem. diſtinctione 70. Cap. Neminem abſolute.

In eodem concilio precipitur:
Quod non oporteat perregrinos
Clericos ſine commendatitijs
miniſtrare.

Cap: XIII.

Peregrini Clerici & lectores in alia ciuitate praeter commendatitias l[itte]ras ſui Epiſcopi nuſquam penitus miniſtrare debent ſub pena ſuſpenſionis

De raptu mulierum

Eos, qui rapiunt mulieres ſub nomine ſimul habitandi, cooperantes aut conniuentes raptoribus, decreuit Sancta Sijnodus, vt ſiquidem clerici ſunt decidant gradu proprio, Si vero laici, anatematizentur.